

11  
11  
2  
3  
1  
1  
2.





1784

1. Assaut, Traité: De jure pensionis in casu quo clericus religionis desertor ac pristina sacra revertitur.
2. Cuestach, Augustinus Franciscus, De: De jurebus eminentissimis, archiepiscopo, principi, Dectori Magnifico, intus postarum Imperialium qua S. R. I. per Germaniam archicancellaris . . . competentibus.
3. Almer, Franciscus Georgius Ignatius: De Fussi

1785

1. Puler, Carolus Antonius: Utrum scriptura cum immediata fidei regala jure a protestantibus statui possit?
2. Faggen von Kirchheim, Philipp Karl, Graf von: Ueberlung über die Grenzen der dem hohen Kurthume Meinung über den Meinstrum von Fohs bis zu dem Beginnung in der Rhein gütlichen über Herrschaft.



1785. 3, Fugger a Lirchheim, Philippus Conradus, Comes de: Theres  
ex universis juris.

4. Gentil, Mathaeum Fredericus: In aliam rationis  
respectu mysteriorum religionis Christianae
5. Honicker, Vito Gropius: Ordo et argumentum  
agen darum Magytorum ab incedente saeculo 16.
6. Linden, Franciscum Trisephanus Ignatius de: De iure  
visitandi ecclesias quoad temporalia episcopi  
Gumacinae ex ~~h~~ observantia competente.
7. Sommering, Samuel Thom: De capillis vel  
prope vel intra glandulam pinealem vitis



is

is

16.

capo

e.

is



*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*











20

DISSERTATIO  
INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
JURE PENSIONIS  
in casu, quo Clericus religionis  
desertor ad pristina Sacra revertitur.

1784. 1.

QUAM

P. 374.  
UNA CUM SELECTIS EX OMNI JURE POSITIONIBUS  
EX INDULTU INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA UNIVERSITATE MAGONTIACA

SINE PRÆSIDE

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS & PRIVILEGIIS DOC-  
TORALIBUS RITE CONSEQUENDIS PUBLICÆ ERUDITORUM  
CENSURÆ SUBMITTIT

AUTHOR & RESPONDENS

JOANNES ASMUT,  
BERINGSHUSIO - WESTPHALUS

MAGONTIACI DIE      MENSIS NOVEMB. 1784.

MAGONTIACI,

Ex Typographia Elect. Aul. Acad. privilegiata apud JOAN. JOSEPH.  
ALEF, Hæred. Hæfn. 1784.









REVERENDISSIMIS,  
EXCELLENTISSIMIS,  
PERILLUSTRIBUS AC GENEROSISSIMIS,  
PRÆNOBILIBUS, NOBILIBUS,  
CLARISSIMIS, CONSULTISSIMIS DOCTISSIMISQUE  
DOMINIS DOMINIS

Ducatum  
ANGARIÆ AC WESTPHALIÆ  
STATIBUS  
PATRONIS MEIS AC DOMINIS  
PERQUAM GRATIOSIS

*fausta cunctia precando*  
STUDII JURIDICI PRIMITIAS  
CONSECRAT

Subditorum infimus ac devotissimus Servus  
JOANNES ASMUT  
BERINGSHUSIO-WESTHALUS.



Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the word "STABILIS" and other illegible characters.







## I N G R E S S U S.

**M**ateriam de Reservato ecclesiastico tractandi cupido cum animam invaſiſſet; rem prudentius ponderanti, actaque publica perlustranti tanta obſtitere rationum pondera, ut, quæ de hac materia jam conſcripſeram, ad prouorem fors occaſionem in ſcriniis retinere mecum conſtituerem. Fuit nimirum Reservatam hoc eccleſiaſticum materia, quæ majorum noſtrorum mentes integro fere ſæculo miſerrime afflixit, quæque in ipſis circa religionem diſſidiis ſummis animorum motibus, infeſtiſſimoque partium diſcordantium odio diſputata fuit. Ab anno enim jam 1555. uſque ad annum 1648. Catholici & A. C. additi hanibalico quodam odio inuicem dimicarunt, de abolendo hi, de ſtabiliendo illi Reservato eccleſiaſtico. Sed ex quo P. W. ſicut aliis, ita & huic infauſto diſſidio expreſſis verbis finem ac meſuram inpoſuit; quæ circa hanc materiam proferenda eſſent, ſic forent comparata, ut hiſtorico potius & philoſophico, quam iuridico modo tractari poſſent. Quæ utique tractatio diſſertationi inaugurali iuridica pro ætatis noſtræ genio minime conueniret. Quibus rebus permotus in præſenti diſſertatione nihil agam, niſi quod ad adſequendum finem pertinebit. Finis vero e ſequenti caſu facile patebit. Quibusdam ante annis evenit, ut in Episcopatu ſpirenſi clericus quidam a religione Catholica  
A defi-



deficeret, ductaque simul uxore ad A. C. transfret. Patefacta interim ac verificata hac desertione patronus vi Reservati ecclesiastici alii conferebat beneficium, quod desertor possederat. Elapsis aliquot annis sive conditionis, quam inierat, sive regionis, quam petierat, sive ipsius desertionis adeo poenitebat desertorem, ut ad pristina Sacra redeundi consilium iniret sperans, fore, ut acta aliqua poenitentia commodiorem vitam reciperet. Reversus autem jubente Episcopo deprehensus in custodiam datus fuit. Quæstio jam movebatur, undenam sumtus pro sustentando ejusmodi poenitente desumendi essent. Quare loci illius Vicariatus sententiam edebat, qua modernum possessorem beneficii ad pensionem 300 florenorum desertori reverso quot annis solvendam adigebat. Hac vero sententia gravatus beneficii possessor appellationem interponebat ad iudicium metropoliticum magontiacum, quod sanioribus rationibus motum absolvebat beneficii possessorem ab injusto ejusmodi onere, ac fiscum episcopalem in expensas condemnabat. Qua re motus materiae hujus pro dignitate agitatae operam adgressus sum. In eadem vero pertractanda sic procedam, ut capite primo inquiram, quid circa amissionem beneficiorum in casu apostasie justum sit de jure naturæ, quid secundum sacros canones, & demum quid juxta mentem Reservati ecclesiastici in legibus Imperii publicis fundati. Capite dein secundo perstringam quæstionem de jure pensionum secundum principia juris ecclesiastici Catholici in casu, quo desertor ad pristina Sacra reversus fuit. Cum vero de mente Reservati ecclesiastici in decursu dissertationis quæstio occurrat; non inanis forsan operæ fuerit, hic scripta præstruere, quæ tam ex parte Catholicorum quam A. C. addictorum circa Reservatum ecclesiasticum prodierunt.

Causa vero Reservati pertractata reperitur tum in actis publicis, tum quoque in libris singularibus privatorum.

#### ACTA PUBLICA PRÆBENT ATQUE INDICANT.

- I. SLEIDANUS *Lib. 26. p. 854.*
- II. LEHMANNUS *in actis pacis relig. L. I. Cap. 10. 13. 15. 21 - 24. L. II. C. 24. 25. 27. 28. 29. 40 - 45. Lib. III. Cap. I. 10 - 14. 15. 18. 23. 36 - 39.*
- III. LONDORPIUS *in actis publ. T. II. p. 48. seqq. T. IV. p. 228. seq. T. V. p. 1057. seq. item p. 1063. T. VI. p. 37. seq.*

IV.



IV. ADAM. CORTREJUS. *in observatis historico - politico - juridicis ad pac. publ. relig. Art. V. p. 99 - 158. Extat hoc scriptum in eus corpore juris publici T. III.*

V. JOAN. GOTTFRIED. VON MEIERN *in actis publicis P. W. locis in indice collectioni huic adjecto indicatis.*

VI. STRUVIUS *in corpore juris publici Cap. 6.*

Singulis scriptis hanc materiam elucubrarunt autores quamplurimi tam e numero Catholicorum quam & Protestantium. Quorum & per multi acta publica scriptis suis inferuere.

A. EX PARTE CATHOLICORUM hanc rem discutere

- a) FRANCISCUS BURCKARDUS *in tractatu de autonomia. Monachii 1586. Part. I. Cap. 4. Part. II. Cap. 2. seq. Part. III. a Cap. 8. usque ad Cap. 21.*
- b) DILLINGENSES *in compos. pacis. Dilingæ 1629. Cap. 5. n. 18. Cap. 6. n. 99. & 100. Cap. 7. & 8.*
- c) ADAM. ADAMI (ad tractatus P. W. legati) *relat. hist. de pacificatione Osnabrugo - Monasteriensi. Lipsiæ 1737. Cap. VIII. §. 5. n. 1. §. 8. n. 1. Cap. XI. §. 3. Cap. XII. §. 4. 6. 7. 8. 14. 15. Cap. XIV. §. 6. 13. Cap. XXV. §. 10.*
- d) DE BUCKISCH *Observat. hist. politic. in Instrumentum pacis. obs. 20. p. 155.*
- e) SCHWARZ *Colleg. histor. P. III. p. 8. seq. P. IV. p. 137. seq.*
- f) BINER *Apparat. erud. ad Jurisprud. P. III. p. 341. P. IV. p. 153.*
- g) FRANC. IGNAT. WEDERIND *Dissert. historico - juridica succinctam historia subsequæntis Pacificationem relig. usque ad ipsos Trac-*

A 2                      Status



ratus P. W. *synopsin presentans. Fuldae 1740. Quæst. II. Extat in Schmidtii thesauro J. E. T. I. p. 489. ubi & notandæ veniunt animadversiones editoris ad Quæst. II. p. 492.*

h) HAMM *Diff. de Reservato ecclesiastico autonomiam limitante. Coloniae 1773.*

Indirecte quoque huc referri merentur :

1) ANONYMUS (PERERUDITUS SCHWABENHAUSEN jamjam Electori Eminent. Mog. a Consiliis aulicis) *Diff. ex actis publicis adornata &c. qua demonstratur, a Religioso professo ad Protestantes transeunte jus hæreditarium non recuperari. 1774. Item supplementum ejusdem Diff. 1777.*

2) BARTELIUS *in opusculis T. II. variis locis.*

B. EX PARTE DD. PROTESTANTIUM magnus eorum numerus occurrit, qui hanc rem tractarunt. Præcipue notandi hic veniunt :

a) ANONYMUS: *Anmerkungen von dem Reservato ecclesiastico in denen Mediatsiftern und Beneficiis. Extat in GUIL. FRID. DE PISTORIUS amænitat. histor. jurid. P. VI. p. 1682. seq.*

b) SCIPIO ARETINUS (quem JACOBUM LAMPADIUM ferunt) *Der geistliche Vorbehalt aus seinen Gründen erörtert. 1630. 4. Recusus demum prodiit hic liber. Ffurti ad mænum 1633. affixus deductioni: Wie es mit dem kaiserlichen Religions-Edikt und der Geistlichen Vorbehalt eigentlich bewandt, und was dieselbe beyderseits vor Kraft und Wirkung haben. Confr. CORTREJUS l. cit. p. 120. n. 43. LUNIG Bibliotheca deductionum p. 411.*

c) PFAN-



- c) PFANNER *Hist. P. W. edit. 3tia. Gothæ 1697. a. pag. 177 - 181. p. 202 - 207. p. 265 - 270. p. 283 - 286. p. 288. p. 291 - 295. p. 346. & 349. p. 356. seq.*
- d) ULRICH OBRECHT *Diff. de Reservato ecclesiastico. Argentorati 1704. Extat inter ejus Academica diff. 10. p. 216.*
- e) JOAN. SCHILTER *Lib. fing. de P. R. cap. 4. IDEM de libert. ecclesi. germ. Lib. 7. Cap. II. §. 2. seq.*
- f) JOAN. STRAUCHIUS *Diff. de statu Germaniæ post debellatos Schmalcaldici fœderis socios, passavica transactione, pacificatione augusta, & Reservato ecclesiastico. Extat in ejus dissert. J. P. p. 377. seq.*
- g) FRID. BENEDICT. SCHREKENFELS *in diff. de bonorum ecclesiasticorum mediatorum & immediatorum differentia respectu Reservati ecclesiastici.*
- h) JOAN. BALTHASAR. WERNHER *de Reservato ecclesiastico. Vi-rebergæ 1725.*
- i) PEFFINGER *in vitr. illustr. Lib. I. tit. 15. p. 1416. seq. Lib. 3. tit. 19. p. 38. seq.*
- F) GUNDLING *Discours über den W. 3. C. 1.*
- l) FRANC. DOMINIC. HEBERLIN *Diff. Juris publici ecclesiastici de Reservato ecclesiastico ejusque effectibus ac fatis usque ad P. W. Helmstadii 1755. EJUSDEM Dissert. de Reservato ecclesiastico ex mente pacis Westphalica.*
- m) JOAN. JACOB. MOSER *§. Staatsrecht P. 12. C. 55. p. 164. seq. EJUSDEM neuestes Staatshandbuch 1 Theil. 3 Buch. 10. Kap.*

A 3      Alia





Alia quædam Scripta adhuc obveniunt.

- 1) In ANTON. FABER *neuesten europäischen Staatskantsley*. P. 29. C. 6. P. 30. C. 6.
- 2) In ELECTIS JURIS PUBLICI *T. XV. p. 266 - 434. p. 638. p. 979.*

\* Omnia hæc scripta qui attenta mente pervolverit, mox habebit compertum, acta publica quoad hanc materiam sæpe quam maxime manca existere. Quod quoque adeo mirandum non est, si consideremus, authores harum collectionum omnes e numero DD. Protestantium fuisse, quibus utique magno semper opere constabit, acta publica ex archivis Catholicorum depromere. Quod autem scripta privata attinet, oppido apertum est, ea pro diverso authorum genio, atque in religionem affectu, proque temporum ratione diversissima evasisse, & in illis præcipue prioris ævi justam moderationem sæpissime desiderari. Quod utique merito dolendum est. Licet enim aras & focos indefensa relinquere impium deterrimumque sit; inutilibus tamen tricis, absurdaqve verborum acerbitate eadem tueri velle, non minus probrosum videtur. Sed, quod ætatis nostræ laudi dixerim! talis immoderate agendi pruritus utpote ævo nostro minime conveniens diebus nostris inter sinceros viros explosus reperitur. Cujus ingenium exemplum prodidit clarissimus HÆERLIN in ambabus differt. cit. quæ generatim tum ob ingentem industriam, tum ob styli modestiam, qua concinnatæ fuerunt, præ omnibus commendandæ sunt. Ubi in illa de Reserv. eccles. ex mente pacis relig. §. 17. inquit: „*Catholicos juxta religionis suæ principia permittere neutiquam potuisse, ut ecclesiasticis Imperii Statibus aut aliis personis sacri Ordinis liberum esset, religionem deserere, & tamen possessionem & usumfructum beneficiorum suorum retinere, (& paulo inferius) Eos in possessione manutenedos fuisset.*” Quis unquam clarius moderationis exemplum a sincero viro expectabit? Quantum sanguinis germanici gladios evasisset, si hujus doctissimi viri majores hoc modo cogitassent! Sed quam multa facta non fuissent, si aliter cogitatum fuisset!

CAPUT



1702

7

CAPUT I.

*Disquiritur, quidnam justum sit circa beneficiorum amissionem propter apostasiam de jure naturæ, de jure canonico,*

*Et ex mente Reservati ecclesiastici.*

§. I.

**I**llustratio ætas nostra cum omnia ad juris naturæ incudem revocare, cunctasque juris positivi positiones illius principii æquare consueverit; haud abs re fuerit, & hac in materia ad prima principia tanquam fontes redire, ibique fundamenta inquirere, quibus superstruere tunc non magni operis erit. Perspecta enim beneficii ecclesiastici vera indole mox oppido patebit, quidnam justum sit de jure naturæ in casu, quo beneficium ecclesiastico fungens religionem illius Ecclesiæ deserit, cujus sacrorum ministrorum numero ante fuerat adserptus. Beneficium vero ecclesiasticum secundum jus naturæ est officium quoddam sacrum certæ cujusdam Ecclesiæ, cui annexi reperiuntur statuti redditus distribuendi illis, qui officio isto fungi noscuntur. (a) Hanc beneficii naturam inspiciens prono alveo exin derivabit, 1) beneficium conferendum esse ab Ecclesia, cujus officium esse dignoscitur, vel saltem concessione ejus ab alio. Cuilibet enim vero societati vi potestatis socialis officiorum suorum ministros constituendi jus conpetere nemo in dubium vocabit: cur ergo & Ecclesiæ hoc non conveniet? siquidem cum rerum natura differentiam hic non dicet. Cur hic Ecclesiæ deterioris conditionis pronuntianda erit, quam ipsa Respublica? quis verò imperanti facultatem denegabit, munera publica dignitatesque creandi, ad eaque assumendi viros, quos ipse aptos, dignosque judicavit; eo vero præcludendi, aut quoque officiis & dignitatibus publicis jam obtentis privandi, quos debitis qualitatibus destitutos ac reipublicæ salutis nocivos potius cognoverit? Imo vero quis non videt, jam ex natura cujuslibet officii collationi ejusdem tacitam inibitam esse conditionem, officium non aliter conferri, nisi impetrans debitis requisitis & qualitatibus inbutus fuerit, nisi que onera officio per se adhaerent a debito modo obierit; contra vero eum hoc ipso privatum existere officio, si contrarium appareat. Quid aliud jam in Ecclesiâ obtinebit? nonne & hæc potestate gaudebit, pro arbitrio dispensandi officia sacra, & iisdem privandi illos, quos susti-





sustinendo muneri minus aptos, aut animarum salutem procurandæ minus proficuos, & religionis bono nocituros potius quam profuturos repererit? (b) 2) Ex ipsa beneficii natura aperte sequitur, fructus utpote beneficio annexos tantum cedere illis, qui officio isto funguntur, neminique jus in illos competere, nisi qui officio isti iusto modo superesse possit.

(a) Haud absimili modo beneficium ecclesiasticum definit NETTELBLADT in *systemate elem. univ. Jurisprud. positiv. comun. Imp. R. germ. Halæ magdeburgicæ* 1749. T. II. P. I. Cap. 3. tit. I. §. 946. pag. 499. Item in *Jurisprud. natural.* §. 901. p. 322.

(b) Cfr. ZALWEIN in *principiis juris ecclesiast.* T. III. Quæst. II. Cap. IV. §. IX. p. 335.

## §. II.

Cujus asserti veritas lucidissime apparebit, si consideremus, sicut in omnibus materiis, ita & in hac vulgata juris procardica legi naturæ maxime innixa valorem obtinere, nimirum:

- 1) *Accessorium sequitur naturam principalis.*
- 2) *Quicumque vult antecedens, debet & velle consequens.*
- 3) *Qui non vult sentire incommodum, nec quoque debet sentire commodum.*

Nonne vero officium censetur principale, fructusque accessorium? Nonne fructus sunt commoda beneficii, officium vero ejusdem incommodum? Rei itaque naturam intuenti dubia vix suboriri poterunt, beneficii fructus non cuiquam obvenire, nisi qui officium eidem adjunctum obierit, nec quoque eosdem fructus diutius ipsi remanere, quam officii onera iusto modo exequatur.

## §. III.



§. III.

Hisce ex præstructis probe poterit colligi, quemlibet Ecclesiæ ministrum per temerariam desertionem status ecclesiastici, defectio- nemque a religione illius Ecclesiæ, a qua beneficium obtinuerat, sta- tim excidere omni jure beneficii, quo antea fuerat instructus (a) Ea enim est beneficiorum ecclesiasticorum indoles, ut propter arctissi- mam cum religione ipsa connexionem nemini concedi possint, nisi qui religionem ejus Ecclesiæ profiteatur, de cujus beneficio queritur. Officia nimirum beneficii annexa quoad plurimam partem sese exse- runt in promovenda & diffundenda religione, eaque facta recta con- servanda, in administrandis sacris, cultuque divino externo & publico peragendo. Contradictionem itaque involveret, religioni ac fidei Ecclesiæ cujusdam quacunque demum de causa renuntiare, atque ad aliam transire, ministrum tamen ecclesiasticum prioris Ecclesiæ ma- nere velle; absurdumque foret, statum abdicare, adhaerentia tamen eidem statui retinere. Cum laudatus status dictæque qualitates sem- per maneat conditio, sine qua redditus postulari, percipique nullo modo poterunt. Neque Ecclesia ei alio sine beneficium contulisse præsumi potest, quam ut tanquam membrum societatis subeat onera officii beneficii connexi, utque ipsum officium diutius non teneat, quam debitis requisitis & qualitatibus instructus permanserit. Optime inde inquit status Catholici: (b) "Wann ein Minister oder auch ein  
 ,, ganzes Ministerium Augsburgischer Confession zu der Catholischen Reli-  
 ,, gion treten würde, ist nichts gewissers, denn dasi sie samt und son-  
 ,, ders ihre Dignität, mit allen Einkommen und Nuzungen quittiren  
 ,, müssen, dannhero ex æquitate naturali dergleichen Befehle denen Ca-  
 ,, tholischen wider die, so von ihrer Religion abtreten, auch zugelassen  
 ,, werden sollen und müssen. Nec minus sincère argumentat Protestan-  
 tum Jurisconsultus celeberrimus CHRISTIAN. THOMASIVS (c) se-  
 quenti modo: "Nihil æquius esse, quam ut Episcopus vel Canonicus reli-  
 ,, gionem mutans in vitiis reliquis deponat beneficium ipsi intuitu religionis  
 ,, datum; cum jus nature dicet, ut data sub modo restituantur modo non  
 ,, adimpleto. Naturam imo omnium Collegiorum in eo consistere, ut potius  
 ,, unus cedat Collegio, quam ut Collegium cedat voluntati unius.

a) NETTELBLADT in system. elem. univ. Jurisprud. positiv. T. II.

§. 942. pag. 498. & §. 1040. p. 527. n. 4.

b) APUD CORTREJUM l. cit. p. 127.



c) *In Schol. AD SEVERIN. DE MONZAMBANO C. 5. lit. O Quae eadem principia assertit in diss. de desert. ordinis ecclesiastici §. 33. Cfr. quoque BRUNNEMANN jur. eccles. L. 1. C. 5. §. 22. seq. Inter Catholicos eandem viam ingressus est clarissimus ZALWEIN l. cit. pag. 336.*

#### §. IV.

Cum his juris naturæ principii si Ecclesiæ Catholicæ principia conferamus, mox clarissime constabit, hæc illis omnimode consonare. In Ecclesia enim Catholica jam ab ejus origine ad nostram usque memoriam inconcussa obtinuit observantia, ut ad dignitates, ministeriaque ecclesiastica nullo modo quis promoveretur, nisi autoritate ecclesiastica. Quod enim Episcopos attinet, e diutina Ecclesiæ praxi apparet, jam ab Ecclesiæ incunabilis per electionem ad summum hunc in ecclesiasticis apicem adscensum fuisse. (a) Et quamvis illa diversis ævis, diversisque regionibus varia extiterit; (b) quanquam Imperantes tandem in eadem justis de causis intercesserint, (c) imo tandem variis in regnis præsertim Occidentis electione pænitus sublata Episcopos nominarint; (d) autoritatis tamen ecclesiasticæ partes in eadem maximæ semper fuerunt, in confirmatione ac consecratione sese exercentes. Clericos autem inferiores quod concernit, indubitatum est, in primitiva Ecclesia eos constituendi jus soli Episcopo competiisse. Cum enim nascente Ecclesia disciplina lex ferret, ut nec ab ordine beneficium, nec vicissim ordo a beneficio disjungeretur; cum nemo profus attonderetur vel ordinaretur, cui non statim sacra quedam functiones assignarentur, addicereturque Ecclesia, ubi obiret munus aliquod spirituale, ex quo & temporale demercret stipendium; cumque ordinandi potestas soli Episcopo competere; patet, ab Episcopo quoque solo inferiores Ecclesiæ ministros constitutos fuisse. (e) Succedentibus utique sæculis facta beneficiorum erectione, introducta bonorum divisione, ac jure patronatus radices capiente (f) multa circa hoc jus immutata reperiuntur; nihilo tamen minus potestas sacra Episcopi maxime adhuc respicendæ in institutione autorizabili, ac ipsa ordinatione. (g)

a) *Exempla assertam hoc corroborantia jam obveniunt in sacra Scriptura: Act. 1. 26. VI. Act. 5. Cfr. RAUTENSTRAUCH in Inst. J. E.*



7. E. T. I. Sect: 2. Cap. 18. EIBEL *Elucubratiō canonica exhibens notiones de natura, ortu & progressu electionum personarum ecclesiasticarum.* Vienna 1774. SCHOLLINGER *Diss. de magistratum ecclesiasticorum origine & creatione edit. 2da aucta.* Pedeponti 1757. THOMASINUS *vet. & nov. Eccles. discipl. P. II. lib. 2. Cap. I. seq.* OBERHAUSER *in Thomasio abbreviato P. II. Cap. II. seq.* VAN ESPEN *in jur. eccles. univ. P. I. tit. 13. seq.* PETRUS DE MARCA *de concord. sacerdot. & imp. Lib. 8.* FRANC. HALLIER *de sacris electionibus & ordinationibus ex antiquo & novo Ecclesie usu. 3. tom. in fol. edit. 2da. Romæ 1740.* FRANC. FLORENZ *in opusculis ad tit. 6tum de electionibus.* CIRONIUS *in paratitulis ad tit. de electionibus.* RUPRECHT *in notis histor. in univ. jus canonicum. T. II. tit. de elect.* JANUS A COSTA & GONZALEZ *ad tit. de elect.*

- b) THOMASINUS *l. cit.* A RIEGGER *in Inst. Jurispr. eccles. P. II. §. 288. seq.*
- c) THOMASINUS *l. cit. P. II. lib. 2. C. 6.* PETRUS DE MARCA *l. cit. Lib. 8. Cap. 9. & 10.*
- d) VAN ESPEN *l. cit. P. I. tit. 14. Cap. 3.* THOMASINUS *l. cit. P. II. lib. 2. C. 13. seq. & Cap. 40.* A RIEGGER *l. cit. P. II. §. 339. & 340.*
- e) BINGHAM *orig. eccles. lib. 2. §. 2. seq.* ZALWEIN *l. cit. T. IV. Quæst. 2. Cap. 2. §. 8. p. 161.* THOMASINUS *l. cit. P. I. Cap. I. §. 8. & 9. Cap. 2. §. 7. P. II. lib. I. Cap. 33. seq.* VAN ESPEN *l. cit. P. II. tit. 9. Cap. 2. & tit. 21. C. I.* A RIEGGER *l. cit. P. II. §. 146.* DE LUCA *in summ. benefic. T. I. §. 2.*
- f) THOMASINUS *l. cit. P. II. Lib. I. Cap. 29. seq. Cap. 54. seq.* VAN ESPEN *l. cit. P. II. tit. 25.* A RIEGGER *l. cit. P. III. §. 678. seq.*



g) VAN ESPEN l. cit. P. II. tit. 26. Cap. I. A RIEGGER l. cit. P. III. §. 158. seq.

§. V.

**N**ec minus Ecclesiæ Catholicæ mens cum jure naturæ congruit in positione: fructus beneficii tantum dari ob officium sacrum Ecclesiæ præstitum. Sufficienter hoc docent analogica beneficiorum ecclesiasticorum cum beneficiis militaribus origo; (a) ipsaque beneficii ecclesiastici natura de jure moderno; quo ab omnibus passim Canonistis definitur: Jus perpetuum percipiendorum fructuum quorumcumque ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale auctoritate ecclesiastica adnexum. (b) Quæ definitio lucido sane modo indicat, officium esse principale, & jus percipiendi fructus accessorium, satisque hoc docent sacri canones. Inde enim ortum vulgatum illud approbatum a Bonifacio VIII. in Cap. fin. de rescript. in 6to: "Beneficium datur propter officium." Inde inquit Cap. 4. de Præbendis: "Beneficium ecclesiasticum datur, cum in aliqua Ecclesia Clerico convenientia stipendia militis clericalis adfiguntur. Consentit Conc. Trident. Sess. 21. de reform. Cap. 3. in verbis: "Beneficia ad divinum cultum atque ecclesiastica munia obeunda sunt constituta." Nec minus clare hoc prodit Synodus colonienfis Anno 1549. Tit. 9. Can. 3. adferens: "Uti divini juris est, ut, qui servit altari, de altari vivat, ita nec bono jure is, qui non servit altari, de altari vivit: sicut stipendium non debetur nisi militanti." Distincte quoque hæc declaravit Concilium delectorum Prælatorum sub Paulo III. apud van Espen l. cit. P. II. tit. 28. p. 573. verbis: "Cum reditus sunt adnexi beneficio, ut corpus animo." Præclare hæc Ecclesiæ Catholicæ doctrinam exposuit doctissimus GIBERT in præfat. præmissa Tom 3tio corp. Jur. can. his verbis: "Beneficia sunt ministeria Ecclesiæ, quibus addicit portionem suorum reddituum ad sustentationem illorum, qui illa exercent, & ad sumtus servitii divini, & impletionem aliarum obligationum, quibus onerantur. Hæc beneficia pro omnibus his finibus instituit Ecclesiæ. Hæc via facit exercere suas potestates, & sua munia replere quoque curam animarum, celebrationem divini officii, administrationem Sacramentorum, nec non aliorum suorum bonorum spiritualium & temporalium distributionem. Per beneficia incolumem servat rectum ordinem positum in regimine. Tandem beneficia sita sunt in Ecclesiis particularibus, ad quarum servitium eriguntur. (d)

a) Hec



- a) *Hec analogia optime noscitur, si ea, quæ proferunt DU CANGE in glossario voce BENEFICIUM & MURATORIIUS in antiquit. ital. Diss. XI. Col. 554., cum illis conferantur, quæ dicit VAN ESPEN l. cit. P. II. tit. 18. C. 1. n. 3. ubi sic ait: "Cum autem successu temporis prædia Ecclesiæ benemeritis, tanquam Ecclesiæ militibus ad usum dari cæperunt, etiam eadem ratione beneficia appellata sunt.*
- b) VAN ESPEN l. cit. P. II. tit. 18. C. 1. §. 13. A RIEGGER l. cit. P. III. §. 91.
- c) *Consonat his principiis formula reformationis CAROLI V, apud BRAUBURGER in Diss. de ipsa hac formula. Moguntia 1782. edit. p. 115. in verbis: "Ideo enim de altari edunt & participant, quæ altari serviunt." Quod idem innuunt loca quamplurima ibidem collata p. 225. Hoc ipsum quoque dicunt concordata statuum ecclesiæ & sec. de 1530. tit. Von Thum und Thorherrn und andern geistlichen Personen. §. 25. "Die Erzbischoff und Bischoff sollen auch alle Geistlichen ernstlich anhalten, Ir horas canonicas in der Kirchen zu singen, oder in Iren Häusern zu petten, dann jeso die Geistliche beneficien propter officium und des Amtes halber gegeben werden. Cfr. BRAUBURGER l. cit. p. 213. seq. Singularem prorsus rationem affert PONTIFEX PIUS V. in Rescript. ad Cap. & Canonicos eccles. valent. in Gallia, ubi præstruētis Clericorum officiis addit: "Quid aliud, qui ecclesiasticis bonis fruuntur, quam populorum peccata manducant. Cfr. BRAUBURGER l. cit. p. 255.*
- d) *Cfr. quoque loca a PATRE DALO collata in GIBERT l. cit. T. 3. p. 1-2.*

## §. VI.

**H**anc beneficiorum ecclesiasticorum originem atque naturam, hæcque sacrorum Canonum dispositiones si penitus perspiciamus;

B 3

facile



facile licebit concludere, Ecclesiam Catholicam nemini concedere fructus beneficii ecclesiastici, nisi qui simul officio sacro cum eodem arctissime connexo fungatur, nec illam eos cuiquam diutius relinquere, quam officium rite debiteque exequatur. Exequendi autem ejusmodi sacri officii nemo capax censetur, nisi qui ordinibus sacris fuerit initiatus, ad quos nullus admittitur, nisi qui Ecclesiae Catholicae additus in eadem sese permanens jurato asseverarit. Quibus quoque de causis sancta mater Ecclesia acerbissimis semper poenis in temerariam desertionem fidei ac ordinis Catholici (quam apostasiam perfidiae ac ordinis dicunt) investa fuisse reperitur, ita, ut in quamplurimis quoad poenas haerese eam equipararit. (a) Præteritis vero cæteris poenis in apostasiam statutis, utpote quas recensere non hujus loci videtur, hanc tamen præprimis notatam velim, quod nimirum tales apostate ipso jure beneficio ante habito excident. (b) Quæ tamen poena, cum ex ipsa beneficiorum ecclesiasticorum natura profluat, gravissima adeo censeri nequit.

(a) Cap. 13. de hæreticis in 6to. BARBOSA de officio & potestate E. pifcopi P. II. alleg. 40. n. 14. & 15. p. 413. A RIEGGER I. cit. P. IV. §. 289. KÖNIG in principiis Jur. canon. Lib. V. decret. tit. 9. de apostat. §. 7. p. 82.

b) Cap. 12. de hæreticis in 6to. BARBOSA l. cit. P. III. alleg. 57. n. 228. p. 168. GONZALEZ glossa 15. n. 65. NICOL. GARCIAS de beneficiis. P. XI. Cap. 10. n. 60. KÖNIG l. cit. Lib. V. decret. tit. 7. §. 8. n. 18. p. 75.

## §. VII.

**I**psorum A. C. addictorum sententia hic adstruere non vani operis erit. Quamvis illi Sacramentum Ordinis negent, (a) imo characterem indelebilem (prout adferere placuit ZIEGLERO) (b) inter figmenta & febricitantis cerebri partus prodigiosos referant; nihilo tamen minus apostasiam ordinis retinuerunt quidam eorundem doctores. (c) Et quamquam alii plurimi eorum apostasiam ordinis in Ecclesia sua obtinere negent, sicque ab ordine desiscere crimen non esse adfirmant; (d) desertionem tamen ministerii ecclesiastici arbitriam maxime illicitam putant. Loqui hic pro me faciam PAULUM TARNOVIUM DD. PRO-

TES.



TESTANTIUM THEOLOGUM DOCTISSIMUM (e) hoc modo differentem:  
 Q. "An qui semel ministerio se addixit, abdicare se ab eodem unquam in  
 vita libere & licite possit? Resp. affirmativam placere nonnullis, qui sua  
 quieti malunt, quam Ecclesia saluti consulere, experientia testatur. Ne-  
 gativam nos tuemur. Caterum ne ulla ambiguitas vel in subiecto vel in  
 predicato relinquatur, ministrum Ecclesie intelligimus legitime vocatum,  
 facultate prestandi muneris adhuc satis instructum, ab Ecclesia etiam diu-  
 desideratum, sed sola voluntate ulterius interveniendi suis auditoribus desti-  
 rutum, vel quia tædet eum laboris & molestiarum, vel quia abunde ipsi sup-  
 petit, unde se suosque sustentet, vel etiam, quia aliis carnalibus causis  
 ad mutationem & abdicationem spontaneam permovetur. Licitum autem  
 censemus hoc loco, quemadmodum & liberum, respectu juris divini, quo  
 uno nititur conscientia bona, non humani ullius, aut etiam pena, quam  
 in ejusmodi inconstantes apud nos nullam constitutam novimus. Argu-  
 menta pro nostra sententia afferimus triplicia: testimonia Scripturae, ex-  
 empla ex eadem, & rationes. Testimonia sunt partim generales & com-  
 munes sententia Apostoli. I. Cor. 7. V. 17. 20. Unusquisque, in qua  
 vocatus est vocatione, in ea maneat; partim specialia & singularia  
 Christi monita de perseverantia in officio. Matth. X. V. 22. Qui perse-  
 veraverit ad finem, salvabitur. Luc. IX. V. 62. Qui manu ad ara-  
 trum admota respexerit, non est aptus ad regnum coelorum. Apoc.  
 V. 19. Fisto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae.  
 Exempla probata sunt Prophetarum & Apostolorum & aliorum, qui munus  
 suum non ante reliquerunt, quam cursum suum consumaverunt, ut de se  
 predicat Apostolus I. Tim. 4. V. 7. Ratto ex oppositis fit hæc: Vocare  
 & ingerere se ipsum in ministerium, non est liberum & licitum, ergo nec  
 abdicare & relinquere semel susceptum ministerium, est liberum & licitum.  
 Valet consequentia ex eo, quod quorum est vocare, eorum etiam est dimi-  
 ttere." (f) Hæc DD. Protestantium doctrina quamvis longissime  
 discrepet ab illa Ecclesie Catholice; aliquatenus tamen rem pruden-  
 ter ponderanti argumento esse poterit, penas, quibus Ecclesia Catho-  
 licæ apostatas afficit, minime absonas, & secundum principia, quæ  
 Ecclesia Catholica fovet, minime rigorosas putandas esse. DD. Pro-  
 testantes utique desertionem ministerii arbitrariam non conjunctam  
 cum apostasia fidei illicitam modo pronuntiant, penas tamen in ean-  
 dem statuerè nequeunt, utpote cujus statuendæ juxta eorum princi-  
 pia non adest fundamentum. Quanto vero magis Catholici in deser-  
 tores ordinis ac fidei optimo jure acerbissimas penas statuere potue-  
 runt, utpote qui Sacramentum ordinis, & characterem indelebilem  
 existere statuunt!

a) CHEM-



- a) CHEMNITIUS in exam. Concilii Trident. p. II. pag. 891. seq. GERHARD. loc. Theolog. T. 6. §. 155. BRUNNEMANN Jur. eccl'es. Lib. 2. C. 1. membr. 4. §. 4.
- b) AD LANCELOTUM p. 323. seq. & p. 339.
- c) BRUNNEMANN l. cit. L. 2. Cap. 18. §. 16. SCHILTER de ordinatione ministrorum Ecclesie. L. 1. tit. 14. §. 6.
- d) ZIEGLER l. cit. p. 954. THOMASIVS l. cit. §. 10.
- e) Cujus judicium extat in DEDEKENNI consiliis. vol. 1. P. III. L. 1. membr. 2. Sect. 9. n. 9. f. 788.
- f) Ejusdem cum TARNOVIO opinionis sunt DANHAUERUS P. II. Theolog. symbuleutica dial. 3. Sect. 3. quæst. 15. GIBERTUS VOETIUS Polit. eccl'es. P. II. Lib. 3. tractat. 2. Cap. 10. Quorum rationes excerptit THOMASIVS in diss. de desert. Ord. eccl'es. §. 21. & 22. Ubi quoque adducit canonem 12. inter canon. ord. eccl'es.astici provinciarum Belgii, his verbis loquentem: "Quandoquidem minister verbi semel legitime vocatus per omnem vitam ad ministerium obligatus est, non licebit ipsi ad alium vitam suam se transferre, nisi ob graves & momentosas rationes, de quibus classis cognoscet & judicabit."

### §. VIII.

**A**ldata juris nature atque Ecclesie Catholice principia famoso Reservato ecclesiastico causam & originem dederunt. Quod est dispositio jam in lege nature fundata, in favorem tantum Catholicorum §. 18. pacis religiose inserta, pace tamen westphalica per Art. V. §. 15. ad utramque religionis partem extensa & roborata, vi cujus minister Ecclesie ab alterutra religione ad aliam transiens eo ipso excidit omnibus beneficiis ecclesiasticis, honore tamen fama que illibatis. Hac Reservati ecclesiastici vera mente intellecta statim inde concludere licebit: 1) ipsam hanc dispositionem (quam Reservatum ecclesiasticum in Germania nuncuparunt) jam de jure nature obtinere. (a) 2) In pace religiosa hanc dispositionem unice statutam fuisse in favorem Catholicorum, mini-



minime vero Protestantium, c) utpote qui ea ætate in principiis suis nequaquam constantes, & de modo acquirendi solummodo cogitantes simulato quodam involuero Catholicis persuadere studebant, religionem suam cum ea Catholicorum unam eandemque esse, sicque religioni suæ addictos beneficiorum ecclesiasticorum æque capaces existere ac ipsos Catholicos; c) 3) demum pace westphalica hanc dispositionem ad DD. Protestantes quoque extensam fuisse; d) 4) vi hujus dispositionis apostatam ea ipsa defectione statim excidere omni jure beneficii, quod antea habuit. Ultimam hanc sequelam latiori modo tamen illustrare juvabit.

- a) *Cfr. §. I - 2 - 3. hujus dissertationis.*
- b) *Cfr. HÆBERLIN Diss. de Reserv. eccles. ex mente pacis relig. §. 3.*
- c) *Afferturn hoc cuilibet apparebit, qui præjudiciis exutus sano judicio, & attenta mente universa acta pacis religiosa, & subsequendum Imperii comitorum, nec non ipsius pacificationis westphalica perolverit. Cfr. HÆBERLIN l. cit. §. 19 - 28.*
- d) *Cfr. HENNIGES in medit. ad Instr. pacis ad Art. V. §. 15. DE BUCKISCH in medit. ad P.W. ad Art. V §. 15.*

### §. IX.

Quo vero distinctius intelligi possit, quonam modo beneficium ecclesiasticum vacet ex Reservato ecclesiastico, inquiramus necesse est, quænam mens pacificentium fuerit tempore pacis religiosæ, nec non subsequenti ætate, præcipue vero in pangenda pace westphalica. Certum enim ac indubitatum est, in omnibus materijs, quæ legibus Imperii publicis decisa, vel statuta inveniuntur, ad ipsam Instrumentorum mentem actaque publica confugere, indeque omnem theros sortem hauriri oportere. Inspicienti vero §. 18. pacis religiosæ, & Art. V. §. 15. pacis O., actaque publica hanc circa materiam ventilata pervolventi statim occurret, Catholicorum mentem ac intentionem unice eo collimasse, ut cujuscunue generis personæ ecclesiasticæ, quæ ad A. C. transirent, eo ipso sine mora seu ipso jure & facto exciderent omni jure beneficii olim habiti, fructuumque inde percipientium.

C



dorum. Quae omnia ita esse docent 1) acta publica ante pacem religiosam agitata; a) 2) ipsa pacis religiosa verba; b) 3) plurima acta in comitiis Imperii a pace relig. usque ad pacem westphalicam; c) 4) acta in transactione pacis westphalicæ; d) 5) ipsum P. W. Instrumentum. e)

- a) a) *Sic IN PETITA CATHOLICORUM ADDITIONE de decima nona Junii apud LEHMANNUM in actis de pace relig. L. I. Cap. 10. p. 25. adferebatur.* „Dergestalt, wo ein Herr Erzbischoff, Bischoff, Prälat, oder andere geistliches Stands, von der alten Religion abtreten würde, daß derselbe seines Stands und Amts alsbald ipso jure & facto entsetzt seyn soll. 2c.“
- b) *Ipsium hoc Catholicos pretendisse, adserunt ipsi DD. PROTESTANTES IN GRAVAMINIBUS APUD LEHMANNUM l. cit. L. I. Cap. 13. p. 28. in verbis:* „Zum fünften, so wissen wir folgenden Artikel, immassen die Geistlichen denselben gestellt, nicht zu bewilligen, nemlich, daß wer von den Geistlichen zu dieser Religion tritt, von Stunden an *de jure & facto* sollte officio & beneficio entsetzt seyn.“
- c) *Eadem profert CANCELLARIUS MOG. CORAM REGIA MAJESTATE & COMMISSARIIS CAESAREIS APUD LEHMANNUM l. cit. cap. 14. p. 29. verbis:* „Und nemlich, daß derselbige *de jure & facto* alsbald officio & beneficio destituirt, und sie die Geistlichen einen andern ihrer Religion kiesen und wehlen mögen.“
- d) *Ipsa haec verba repetunt DD. PROTESTANTES IN RATIONIBUS, warum die Freystellung der Religion in genere zu setzen. Apud LEHMANNUM l. cit. Cap. 15. p. 31. dicentes:* „So wissen wir fürnemlich folgende Worte in ihrem Artikul, immassen die Geistlichen dieselben gestellt, nicht zu bewilligen, nemlich, daß wer von den geistlichen Ständen zu dieser Religion, und von



„von der alten abtreten wolte, daß derselbige von Stund an  
 „de jure & facto seines Stands und Amts sollte entsetzt seyn.“

e) *Sic quoque* PROTESTANTES IN DUPLICA SUA APUD LEHMAN-  
 NUM l. cit. L. I. Cap. 18. p. 40. *ajunt*: „Dann männiglich  
 „wohl erachten kann, was es für ein Schimpf, Spott, und  
 „Verkleinerung der Religion seyn würde, wann sie willigen  
 „sollten, daß alle die, so sich zu ihrer Religion thäten, *ipso ju-*  
 „re & facto der Stiftern entsetzt. *re.*“

f) *Eadem pene innumuntur* IN CONCEPTU CONSTITUTIONIS de 10ma  
 Septmbris apud LEHMANNUM l. cit. L. I. Cap. 20. p. 45.  
 „Daß derselbige seines Stands und Amts, auch Frucht und  
 „Einkommen, so er davon gehabt, alsobald verlustig seye.“

g) *Quae quoque* A PROTESTANTIBUS IN SUPPLICATIONE AD CÆ-  
 SAREM EX ORE CATHOLICORUM adducuntur apud LEHMANN.  
 l. cit. Cap. 21. p. 47. *verbis*: „Daß derselbe seines Amts,  
 „Stands oder Frucht und Einkommen alsbald verlustig seyn  
 „solte.“

b) CONSTITUTIO PACIS RELIG. APUD LEHMANN. l. cit. Cap.  
 34. p. 63. *sic sonat*: „Daß derselbige sein Erzbisthum, Bist-  
 „thum, Praelatur, und andere Beneficia, auch damit alle  
 „Früchte und Einkommen, so er davon gehabt, alsbald ohne  
 „einige Widerung und Verzug verlassen solle *re.*“

c) a) *Paci religiosa convenienter loquitur* Hans Dreiners Frey-  
 herr in dem Anbringen von Röm. Kayf. Majest. wegen an den  
 Erzbischoffen und Churfürsten Gebharden zu Eöln. Anno 1582.  
 18va Martii. apud LEHMANNUM l. cit. Lib. 3. C. 10. p. 335.  
 „Daß derselbige sein Erzbischofthum, Bisthum, Praelatur,  
 C 2 „und



„und andere Beneficia, auch damit alle Frucht und Einkommen, so er davon gehabt, alsbald ohne einige Verwiderung und Verzug, jedoch seinen Ehren unnachtheilig verlassen. 2c.

b) *Regerit hac in Responso GEBHARDUS apud LEHMANN. l. cit. Lib. 3. Cap. II. p. 337. verbis: "Und von ihm angegeben worden ist, als solten wir durch unsere Abtretung von der Päpstlichen Religion, und erfolgte Verheyrathung ipso facto unsers Standes selbst entsetzt haben. 2c."*

c) *Quae eadem legenda veniunt in Responso ELECTORIS PALATINI ad Capit. Colon. de 10. April. 1583. apud Lehmann. l. cit. Lib. 3. Cap. 13. p. 341. § 342.; & in votis DD. Cameralium ad supplicationem Archiep. Gebhardi apud Lehmann. l. cit. Lib. 3. p. 360.*

d) a) *Sic inquit CATHOLICI in actis P. W. apud DE MEIERN T. II. pag. 540. "Dass die Veränderung oder Verlassung des geistlichen Standes, Gelübde und Profession privationem der geistlichen Dignität und Nahrung, welche der Verlasser nullo alio titulo, als von wegen des Catholischen geistlichen Standes gehabt, importire, und nach sich ziehe." Et hoc Catholicos pretendisse ipsi profitentur Protestantes apud de Meiern l. cit. T. II. p. 522. Huc quoque pertinent, quae profert ADAM. ADAMI in relat. hist. de P. O. Cap. 8. §. 8. p. 149.*

b) *Eodem sensu de suis Archiepiscopis &c. deficientibus a religione Reservatum eccles. sumserit PROTESTANTES apud DE MEIERN l. cit. T. III. p. 162. n. 13. "Soll derselbe sein Erzbischothum, Prälatur und andere Beneficia, auch damit alle Frucht und Einkommen alsobald ohne einige Widerung und Verzug abtreten."*

) Con-



- c) *Congruunt his, quae profert SUBCICUS LEGATUS SALVIUS in propositionibus suis apud DE MEIERN l. cit. T. III. p. 426. "Si quis interea, sive Evangelicus sive Catholicus Primas &c. mutavit religionem, excidat quidem statim suo jure, pensionibus, honore tamen famaque illibatis.*
- d) *Huic consone loquuntur CÆSAREANI in Projecto Instrumenti Pacis de 3tia Jun. 1647. Art. 5. n. 3. apud de Meiern l. cit. T. IV. p. 566. : "Si igitur Catholicus seu A. C. Archiepiscopus - religionem imposterum mutarint, excidant illi statim suo jure, honore tamen famaque illibatis, fructusque & redditus citra moram & exceptionem cedant. -- -- Idem repetunt in projecto de 30ma Januarii 1648. apud de Meiern p. 958. n. 3.*
- e) *INSTRUM. P. O. Art. 5. §. 15. sic sonat: "Si igitur Catholicus Archiepiscopus, Episcopus, Prælatus, aut A. C. addictus in Archiepiscopum, Episcopum, Prælatum electus vel postulatus solus aut una cum Capitularibus seu singulis, seu universis, aut etiam alii Ecclesiastici religionem imposterum mutarint, excidant illi statim suo jure, honore tamen famaque illibatis, fructusque & redditus citra moram & exceptionem cedant, Capituloque, aut cui inde jure competit, integrum sit, aliam personam religioni ei, ad quam beneficium istud vigore hujus transactionis pertinet, addicendam, eligere aut postulare, relictis tamen Archiepiscopo, Episcopo, Prælato &c. decedenti fructibus & redditibus interea perceptis & consumti.*

## §. X.

**C**ui opinioni utpote actis & Instrumentis P. R. & W. suffulta summum adhuc pondus accedere arbitror, cum in ea hoc modo explicanda consentientes reperiantur juris canonici doctores tam Catholici, quam A. C. addicti, qui omnes conveniunt in eo, talem a religionem deficientem eo ipso statim sine ulla mora & exceptione (seu ut alias



dicitur ipso jure & facto) excidere omni jure beneficii. Inter Catholicos opinionem hanc corroborant *Jurisperiti Dillingenses* ut P. R. ætate proximi; a) quorum opinioni post pacem westphalicam penitus subscribit inter Canonistas Protestantium princeps JUST. HENNING BÆHMERUS b)

a) *In compositione pacis Cap. 6. quest. 51. nro 7. p. 297. in verbis: "Si a Catholica religione defecerint, ut eo ipso omnibus beneficiis suis una cum fructibus privati existant;" Item Cap. 7. quest. 52. nro 13. p. 302. "Hi enim si a fide Catholica & consequenter ab ecclesiastico ordine ac statu deficiant, incapaces se reddunt ecclesiasticorum jurium, beneficiorum ac reddituum; & ipso facto ac jure privationem incurrunt." Item Cap. 7. quest. 53. pag. 316. "Quod tales ea ipsa defectione excidant omni jure beneficii." A RIEGGER l. cit. P. 3. §. 45.*

b) *In jure eccles. Protestantium T. II. diff. prelim. §. 50. p. 44. hoc modo differens: "In illo obtinet Reservatum ecclesiasticum, ita, ut si Prælati solus aut una cum Capitularibus seu singulis, seu universis, aut etiam alii Ecclesiastici, & sic etiam Prælati mediæ, religionem in posterum mutaverint, excidere statim suo jure debeant. &c. -- Oriturque itaque (pergit) in tali beneficio Sedes vacans ipso jure, ut Capitulares citra moram ad novam procedere electionem, & vacans beneficium ei conferre possint, qui religioni ei addictus est, quæ Anno 1624. die 1. Jan. in eo obtinuit, & a possessore illius temporis agnita est per Art. V. J. P. nro 15.*

## §. XI.

Quæ omnia si probe considerentur, apertissimi juris evadet, apostata, facto revera ad aliena sacra transitu, nullum omnino jus in beneficium, quo fuerat instructus, amplius competere; cumque beneficium ipso jure & facto vacare contigerit, ordinarium collatorem, aut cuicumque hoc de jure competit, necessario adigi, ad be-

ne-



beneficium alteri conferendum; cum omnia beneficia eo modo vacantia necessario aliis conferenda sint; a) nisi devolutioni locum dare velit. Ejusmodi autem vacans beneficium pure conferri oportet, cum nulla adfit ratio, cur sub aliqua restrictione v. g. inponenda pensionis in favorem apostatae redeuntis conferri debeat, quippe cum reditus ejusmodi apostatae quammaxime a casu dependeat, qui rarissime accidere solet. Et ob casum restrictionem collationi adjici posse, de jure contendere nemo audebit. -- --

a) A RIEGGER *l. cit. P. III. §. 172.* NETTELBLADT *in system. elem. Jurisprud. post. §. 993.*

## C A P U T II.

*Perstringitur questio de jure pensionis secundum principia sacrorum canonum in casu, quo apostata ad desertam castra reversus fuit.*

### §. XII.

**E**voluta hucusque Reservati ecclesiastici indole, amissioneque beneficiorum inde pendente; haud magna erit difficultatis quaestio evolvere, quamnam sit potestas Episcopi quoad inponendam pensionem ejusmodi beneficio ex Reservato ecclesiastico amisso, alterique collato, in casu, quo apostata talis poenitens factus redierit. Quanquam enim maximi nominis, summæque eruditionis vir mihi affirmavit, in decidenda hac quaestione inter Catholicos ad Reservatum ecclesiasticum minime provocari posse, utpote quod tantum locum invenire posset, si quaestio oriretur inter Catholicos & Protestantem: mihi tamen effectum hoc panitus arridere noluit. Quamvis enim a veritate alienum non sit, directam intentionem in statuendo Reservatum manus inciderent, & sic vice versa, sicque quoad intentionem directam locum tantum esse Reservato in casu, quo inter Catholicos & Protestantem quaestio orta fuit; hoc tamen quoque negare vix quam audebit, in decidenda hac materia semper manere quaestiones maxime notandas, an vacaverit beneficium, quomodo vacaverit, qua-



quænam jura competierint Patrono alique collatori intuitu collationis, quæque jura obtinuerit ille, cui beneficium istud fuit collatum. His demum quæstionibus rite perpenfis secundum principia canonum disquiri poterit, quænam sit potestas Episcopi in dicto casu quoad imponendam tali beneficio pensionem. Qua remota primo Reservati ecclesiastici indolem ac mentem exposui, quo facilius quæstionem jam aggrediendam discutere valerem. Ut autem ab initio quæstionis statim pateat, quonam ea maxime tendat, utque omnibus dubitationis species, inanisque fugillandi materies evanescat, expressis ac lucidis verbis eandem hic præmittam & quidem hujus sententia: An Episcopus beneficio, quod ex Reservato ecclesiastico cavavit, alterique fuit collatum, pensionem imponere potest in casu, quo apostata poenitens factus reversus fuit, & quidem in favorem redeuntis? Hanc utique quæstionem quod attinet, diffidendum haud est, ejus decisionem quoad totum pæne ex sacris canonibus petendam, omnemque ejus mensuram hauriendam esse. Sicut vero circa omnia, quæ hominum forte reguntur, ita & circa hanc materiam accidisse reperio; cuncta & clarissima dubitationis aliquid semper relinquant; semper humana mens, quod veritati opponat, excogitare studet, veritatem ipsam adulteratur, si boni quid sibi inde attulgeat, ipsaque ejus fundamenta si non evertere, percutere saltem fatagat. Quis igitur mirabitur, hanc quoque materiam non omni dubio liberam esse, sique pro affirmante & negante sententia argumenta superesse. Rationes vero, quæ pro affirmanda hac quæstione mentem inclinare possent, sequenti modo fluere videntur.

(S. XIII.

1) Indubitati juris (est apud eruditòs, potestatem ecclesiasticam, quam Christus mundi Salvator, ac religionis nostræ sanctissima fundator universæ Ecclesiæ in Apostolis concessit, a) jure hodierno Ecclesiæ in singulas dioceses facta divisione, competere Episcopis quoad diocesan suam. Quam sacram potestatem Episcopi jure proprio & pleno exercent. b) Positi itaque sunt Episcopi regere Ecclesiam Dei, quod sacri canones passim luculentis verbis expresserunt. c) Vi summi hujus in ecclesiasticis regiminis Episcopis olim competeat libera rerum ecclesiasticarum administratio; d) & quanquam hæc administrandi ac dispensandi libertas, facta beneficiorum erectione, ac introducta bonorum ecclesiasticorum divisione, non parum restricta noscatur; e) attamen veritati convenit, & hodie adhuc Episcopos vi legis



~~1083~~  
1082

24

gis diæcesanæ rerum ecclesiasticarum existere superintendentes & curatores supremos, eisque competere summam quandam potestatem disponendi de bonis ecclesiasticis in utilitatem Ecclesiæ ac religionis. f) Unde quoque aperte fluit, Episcopis competere facultatem beneficiis inponendi pensiones, si iustæ legitimæque causâ occurrant. g) Quare & in casu proposito potestas hæc episcopalis ingredi ac in usum deduci posse videtur, eum in finem, ut Episcopus pœnitenti ejusmodi apostata de congrua sustentatione provideat per pensionem inpositam illi beneficio, quod antea possedit.

- a) MATH. XVI. 19. XVIII. 15. & 18. JOAN. XX. 21. & 23. XXI. 15. MARC. XVI. 15. I. PETR. V. 2. ACTOR. Apost. XX. 28. TERTULL. *Scorp. Cap. 10.* S. AUGUST. *de Agon. Cap. 30.* IDEM apud GRATIAN. *Can. 6. XXIV. q. 1. Idem Tractat. 50. & 124. in Joan. & in sermon. 118. de divers. Cap. 2.* SYNODUS COLONIENSIS ann. 1549. apud HARZHEIM CC. *germ. T. 6. p. 516. seq.* Cfr. NATAL. ALEXANDER *hist. eccles. T. VIII. sec. XIV. diss. VIII.* GERSON *in Tractat. de potestat. eccles. Considerat IV. T. II. Col. 231. seq.* RAUTENSTRAUCH *in Inst. Jur. eccles. T. I. Sect. II. Cap. IX.* A RIEGGER *l. cit. P. I. Sect. I. Cap. VII.*
- b) PETRUS AURELIUS *in defens. censur. sorbon. T. II. p. 87.* THOMASIN. *l. cit. P. I. Lib. I. Cap. 1. & 2.* EDMUNDUS RICHIERUS *in historia Concil. general. L. 4. part 2. Cap. 5.* Anton Pereira von der Macht der Bischöffe. 2c Theil. 1. Grundsatz 1. A RIEGGER *l. cit. P. II. tit. 31. §. 238.*
- c) *Inde dicit Cap. 2. de Maj. & obed. "Si quis venerit contra decretum Episcopi, ab Ecclesia abjiciatur."* Cap. 7. *de offic. Ord. in 6to.* "Episcopus in tota sua diæcesi jurisdictionem ordinariam noscitur habere." *Caus. 16. quest. 1. C. 60. "Constitutum est Episcopos diæceses suas regere."* Quod idem quoque dicit Cap. 16. *de off. jud. ord.* Cfr. A RIEGGER *l. cit. P. II. §. 259.*

D      d)



- d) VAN ESPÉN *l. cit. P. II. tit. 36. Cap. 3. n. 1. p. 693.* THOMASINUS *l. cit. P. III. Lib. 2. Cap. 1. seq.* ARIEGGER *l. cit. P. III. §. 374.* JUST. HENNING. BOEHMER *Jur. eccles. Protest. T. II. Lib. III. tit. 5. §. 33. & 34.*
- e) VAN ESPEN *l. cit. Cap. 1. n. 7 p. 689.* THOMASIN. *l. cit. P. III. Lib. II. Cap. 12. seq.* ARIEGGER *l. cit. P. III. §. 375.*
- f) *Inde ait Synodus mog. apud van Espen l. cit. Cap. 4. n. 6. "Ut Episcopi potestatem habeant, res ecclesiasticas providere, regere, gubernare atque dispensare secundum canonum auctoritatem."*
- g) TOMASINUS *l. cit. P. III. Lib. 2. C. 31. n. 5.* VAN ESPEN *l. cit. Cap. 5. n. 12. & 13.* NICOL. GARCIAS *de benefic. P. I. C. 5. §. 2.* ARIEGGER *l. cit. P. III. tit. 12. §. 280.* *Equidem non ignoro, usitatiorem esse opinionem, Episcopis non licere beneficia, sed beneficiatos tantum onere pensionis gravare, atque idolorum obitu omnem continuo pensionem extinguere, contra vero immortales censeri pensiones pontificias, easque tanquam onera realia ad quemvis beneficii possessorem transferre. Quam opinionem tenent: BOECKEN tit. ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. n. 8. 9. 10. LEUREN for. benef. T. III. quest. 443. seq. NICOL. GARCIAS l. cit. n. 334. ANDR. VALLENSIS in tractat. de beneficiis Lib. 4. tit. 2. GIGAS de pensionibus quest. 44. FAGNANUS ad Cap. nisi essent de prebend. n. 28. Nostra tamen aetate & praecipue in Germania, ubi maxime restricta est hac in re Pontificis potestas, & ubi, sicuti fictum beneficiorum dominium, ita & pensiones imponendi illimitata licentia evanuerunt, principia haec vix sanos fautores invenient. Cfr. ARIEGGER §. proxime citato.*

## §. XIV.

II) **S**uprema hac Episcopi potestas quoad imponendas pensiones eo magis locum invenire videtur, si perpendatur, Reservatum eccle-



ecclesiasticum tantum obtinere, si quæstio oriatur inter Protestantes & Catholicos de amissione beneficii ob defectionem a religione, de potestate vero Episcopi in casu proposito nihil quidquam decernere, sicque jura Episcopi salva illæsaque reliquisse, neque exercitium eorundem quoad minimum aut limitasse, aut prohibuisse. Qua de causis res in terminis juris communis remanent, cum eo tamdiu standum sit, donec probetur exceptio. De jure autem communi iam ex natura supremæ potestatis ecclesiasticæ Episcopopus pensionem imponere potest, prout §. præcedenti probatum est; ergo nullum dubium superesse videtur, quin & in hoc casu Episcopus vim potestatis summæ exercere valeat.

### §. XV.

III) **O**mnis dubitatio cessare videtur, si mente reputeamus, Ecclesiam in ejusmodi casu Prælati arbitrio reliquisse, quomodo apostatam penitentia ductum excipere, quoque modo sustentando ipsi prospicere velit, a) ut, juxta Cap. VI. de Apolt. *vita sibi misera referretur*. Arbitrium vero illud eo magis illimitatum censeri potest, cum hic sit casus, quo sacrum concilium Trident. Episcopum Sedis Apostolicæ delegatum constituit; b) utpote cum salus Ecclesiæ ac religionis, cum status ecclesiastici decus & honor apertissime periclitentur; cum Ecclesiæ intersit, scandala evitari vel saltem deleri, clericosque utpote in sortem domini vocatos, & quorum pars maxima Deus est, non haberi ludibrio; eosque & peccatores ab Ecclesia tanquam matre benigna & mansueta recipiendos esse, si penitentia adacti revertantur; cum Deus non velit mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Sicque patet, eos competenter esse sustentandos,

a) Cap. 24. X. de regular. & transeunt. ad relig.

b) Sess. 24. de reform. C. 10. in verbis: "Episcopi, ut aptius quem regunt populum, possint in officio, atque obedientia continere: in omnibus iis, quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus & potestatem habeant; etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi & exequendi, juxta Canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione & diæcesis utilitate necessaria videbuntur."

D. §. XVI.



## XVI.

IV) Certior vero res adhuc apparet, si attento animo ipsum beneficiariorum systema, ipsiusque naturam perscrutemur. Exinde enim lucidum fit, beneficiarium majora jura in collatione non obtinere, quam illi collator dare voluisse & potuisse presumitur. Neque hic differentia potest oriri, num collator voluntarie, num vero necessario conferat beneficium nimirum ad praesentationem patroni, cum jura patronorum in pote ab Episcopis in eos cessa nihilominus continuo subordinata maneat supremæ potestati ac dispositioni episcopi, qui concedendo jus patronatus nunquam se potestate illa supremæ, quæ officio ejus inaffellibiliter annexa reperitur, sese privare voluisse presumitur; neque eandem abdicare seu cedere unquam potuit. Neminem autem fugit, Episcopum beneficiario plus juris concedere non potuisse, quam sacri canones in ejusmodi casu permittunt. Ex his nempe apparet, hoc beneficium aliter conferri non potuisse, quam tacite subintellecta conditione, ut redeunte apostata penitente beneficium hoc pensione gravari possit in favorem reversi. Assertum hoc fluit ex ratione, quod beneficium ex Reservato amisso inhærit titulus ordinationis apostatæ, qui ex mente sacrorum canonum, præcipite vero Concilii Tridentini a) inalienabilis est. Vi ergo hujus tituli apostatæ, cujus character in ordinatione obtentus indelebilis est juxta Concil. Trident. b) semper sustentationem suam ex beneficio ante habito sub specie annuæ pensionis ab Episcopo statutæ petere poterit. Quinimo Episcopus obligatus adeo videtur ad hanc pensionem constituendam ex argumento antiquorum Ecclesiæ canonum, qui maxime prohibuerunt, ne clerici in opprobrium status ecclesiastici mendicare cogentur, ideoque Episcopis clericos absolute (i. e. sine titulo) ordinantibus onus sustentandi illos inposuerunt. c)

a) *Sess. 21. de reform. C. 2. sic statuit: "Cnm non deceat eos, qui a divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem questum exercere; compertumque sit complures plerisque in locis ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt, se beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: statuit S. Synodus, ne quis deinceps clericus secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia & aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius*  
legi-



legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad vitam honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad istius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit, & aliter facta resignatio nulla sit; patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate & commoditate ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps sine licentia Episcopi, alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint, antiquorum canonum pœnas super his innovando." -- Conc. Trid. quoad hanc materiam confirmarunt plurima Gallia Concilia, quæ videntur in GIBERT l. cit. Tractat. post. de Ecclesia p. 294. seq. THOMASIN. l. cit. P. II. Lib. I. Cap. 9.

- b) Sess. 23. de Sacram. Ord. Can. 4. in verbis: " Si quis dixerit, & per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopus dicere: accipe Spiritum sanctum, aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit."
- c) Cap. 2. de Prabend. dicit: " Non liceat ulli Episcopo ordinare Clericos, & eis nullas alimonias præstare, sed duorum alterum eligat, vel non faciat Clericos, vel si fecerit, det illis, unde vivere possint." Idem statuit Alexander III. in Conc. Lateran. relatus Cap. 4. de Prabend. " Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinaverit: tandiu ei necessaria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiæ clericali assignet. Nisi ta-



his ordinatus de sua vel paterna hereditate subsidium vitæ posse habere." Idem statuit Conc. Londin. Anno 1290 Cap. 6. & Innocentius III. relatus Cap. 16. de Præbend.

### §. XVII.

Ad. I. **S**ed quamquam diffidendum non sit, his argumentis quidquam ponderis inesse videri, eaque non esse vilipendenda aut spernenda; meo tamen iudicio vix tantam vim continent, ut his amplectendis me accommodare valeam. Neque tanti sunt, ut rationibus contrariis everti ac dilui non possint. Quod enim attinet argumentum §. XIII. allatum, ejus vires omnimodam incudem ac crisi non sustinent. Utique enim vero nemo negabit, Episcopo competere summum regimen, supremamque potestatem ecclesiasticam in diœcesi, eumque vigore supremi illius juris gaudere potestate disponendi de bonis ecclesiasticis diœceseos, si necessitas vel salus Ecclesiæ hanc dispositionem desideret, sicque eum exigente religionis ac Ecclesiæ ratione pensiones beneficiis inponere posse. Qualis v. g. foret dispositio, si Episcopus in solatium parochiarum & scholarum ruri sitarum beneficiis ut plurimum locupletibus per omnem diœcesin certam quandam summam detraheret, parochisque ac ludimagistris quoad maximam partem pro summo labore miseram inopemque vitam trahentibus attribueret. Quo facto Ecclesia non minus quam ipsa Respublica magnum fructum caperent. Sed hoc tamen semper maxime præ oculis habendum erit, ut suprema hæc regiminis ecclesiastici potestas in usum deduci possit, requiri, ut salus vel necessitas totius Ecclesiæ per diœcesin hoc exposulet vel requirat. Si enim veritati conveniat, ipsum laudatum dominium eminens in civilibus in exercitium verti non posse, nisi in quantum salus totius reipublicæ vel saltem notabilis ejusdem partis cum dominio unius alteriusque ejusdem membri vel societatis collidat; & eveniente ejusmodi casu illud non in unum alterumque membrum, sed in universos reipublicæ socios pro rata sese extendere. Jura enim qualita uni membro in utilitatem totius societatis auferre, illudque membrum non indemne præstare quam maxime foret iniquum. Cumque jam rerum natura exposulet; ut in exercitio hujus juris omni, quo fieri potest, lenissimo modo procedatur: a) quanto magis potestas Ecclesiæ, in qua dominatum & imperium nascentis Ecclesiæ canones adeo averſati sunt, hos a natura dictatos limites observare tenebitur, cum sanctissimus magister Christus Dominus ipse prædicet: *Reges gentium dominantur eorum, non autem sic erit inter vos!*

cum



cum sanctissima hæc potestas jugum suave & dulce, non onus exitabile & detestandum representare debeat. Quæ si perpendantur, quæso dubio adhuc tenebitur, potestatem summam Episcopi hic locum non obtinere; cum hic nequaquam adsit casus, quo salus totius dioceseos cum jure unius alteriusve membri ejusdem confligat. Quod autem attinet pensionem usum in favorem singulorum etiam non concurrente Ecclesiæ salute vel necessitate, eum semper averfata est sancta mater Ecclesia, *b)* eumque non nisi gravissimis de causis permisit. *c)* Quare quoque Galliæ Episcopi & ipse orator Regis Gallorum in Concilio Tridentino earum omnimodam abolitionem adeo urserunt. *d)* Unde quoque juris ecclesiastici scriptores acerbissimis coloribus eas odiosissimas describere allaborarunt. *e)* Quibus quoque autoribus adeo dissentendum non est, si rationes gravissimæ ponderentur, quæ earum odium pariunt. Quarum maximam meo judicio adfert GOMESTIUS ad regul. de infirmis quæst. 16. in verbis: "*Pensionarii non laborant in Ecclesia, neque seminant, & tamen metunt, & fructus sine labore manducant, contra naturæ ordinem; & contra Apostolum dicentem: qui non laborat, non manducet.*" *f)* Nihil tamen minus mihi incognitum non est, & sacros canones, & praxin hodiernam pensionum usum in favorem singulorum tolerasse in certis quibusdam casibus, quos tamen ut plurimum ita compatos reperi, ut pensiones tales appositæ fuerint beneficiis, priusquam alter jus quæsitum in illis obtinuerit, vel saltem consentiente possessore subsequente. Quæ ambæ circumstantiæ eo magis hic advertendæ sunt, quo certius est, pensionem ex moderno stylo esse speciem cujusdam servitutis beneficio vel Ecclesiæ inpositæ, persolvendi annuam pecuniæ quantitatem ex proventibus beneficii clerico actualiter beneficio non deservienti, nec illud possidenti. *g)* Quam servitutem sane beneficiis inponi non posse existimo, si quis jam in eodem jus quæsitum obtinuerit, pensionique constituendæ expresse dissentiat; neque casus adsit, quo eminentis Episcopi potestas ecclesiastica intret. Quæ omnia requilita cum in casu subtitrato desiciant, non videa, quomodo hic pensioni statuendæ locus dari possit; sed Episcopo potius hic tanquam aurea regula præ oculis habenda erunt, quæ statuit caus. 16. quæst. 1. C. 62. in verbis: "*Episcopus ita prospiciat, ut universæ sibi oves commissa a se maxime valantur, atque in necessitatibus adjuventur, non illicitis exactionibus opprimantur, quia Dominus pascere & docere nos docuit, & omnibus ministrare.*" &c.



- a) JOAN. STEPH. PÜTTER *Beiträge zum teutschen Staats- und Fürstenrecht* Beytrag 20. Theil. 1. *Ubi pag. 362. germano modo inquit:* "Diese Fälle inzwischen bey Seite gesetzt, muß das für alle Regenten und Obrigkeiten eine goldene Regel seyn, und bleiben: daß selbst die höchste Gewalt nicht berechtiget ist, jemanden sein Eigenthum oder wohlervorbenes Recht zu nehmen, als dessen Erhaltung und Sicherheit eine der ersten Triebfedern ist, welche Menschen aus ihrer natürlichen Freyheit in bürgertliche Gesellschaften sich zu begeben bewogen hat, deren erste Grundfeste also nicht ärger erschüttert werden könnte, als wenn eine höchste Gewalt sich das herausnehmen will, über Güter und Gerechtfamen nur nach Gutfinden, oder aus Eitelkeit, Neugierde oder Wohlthut zu verordnen." *Cui consone loquitur MEVIUS P. III. decis. 204. verbis:* "Utrum commoda reipublice omnimodo adjuvanda sunt, haud tamen ita, ut istius causa cuiquam fiat injuria. Illa enim constituitur et amatur, ut quisque sub ea iure fruatur."
- b) *Clarissime hoc indicat instar regula habenda rubrica tit. 12. Lib. 3. decretal.* "Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur." *Cui consentit caus. 1. quæst. III. C. 15. Cap. 8. de Præbend. Cap. 7. de censib. Cap. 30. de Præb. cujus verba sunt:* "Nihil penitus interdictum est, ne quis de proventibus Ecclesiæ, quæ curam habere debet proprii sacerdotis, personam alii, quasi pro beneficio conferre presumat": *et Cap. 13. de censib.* "pati nec debemus, nec volumus, ut Ecclesiæ census novi exactione vexentur."
- c) VAN ESPEN *l. cit. P. II. tit. 28. Cap. 1. p. 573. seq.*
- d) PALLAVICINI *in histor. Concil. Trident. Lib. 18. C. 6. n. 1.*  
VAN ESPEN *l. cit. p. 574.*

e) PVE-



e) PYRRUS CORRADUS *in praxi benefic. Lib. 5. C. 5. n. 1.* VAN ESPEN *l. cit. P. II tit. 28. C. 2. p. 576.* HIERONYMUS GIGAS *vocat eas plagam fœtidam ex percussione nervi ecclesiastica disciplina similitudinariè instictam.*

f) A RIEGGER *l. cit. P. III. tit. 12. §. 297.*

g) VAN ESPEN *l. cit. P. II. tit. 28. Cap. 4. n. 7.*

### §. XVIII.

Ad II) **Q**uod vero argumentum §. XIV. propositum attinet, utique in dubium vocari nequit, Reservatum ecclesiasticum ex intentione directa litem inter Catholicos & Protestantè diremisse, illudque quoad intentionem directam proprie tantum inter Catholicos & Protestantès allegari posse, si lis inter hos versetur; hoc tamen quoque certissimum est, eatenus & in lite inter Catholicos tantum versante Reservatum ecclesiasticum allegari posse, quatenus ex ejus natura & apertissimis verbis fluit, beneficium ipso jure & facto pure sicque sine sententia privatoria officii episcopalis vacare, sicque beneficiario postea illud beneficium obtinenti in collatione pure faciendâ plenissimum jus quæsitum gigni ad omnes fructus beneficio adnexos, neque sententiam declaratoriam officii episcopalis, quæ potius nudæ formalitatis quam necessitatis causa accedere solet, tantæ efficaciam existere, ut tacite pensionem super hoc beneficio reservare valeat. Siquidem cum maxima semper differentia intercedat inter sententiam privatoriam & declaratoriam, in primo utique casu, quo culpabilis delinquens primo per sententiam judicis beneficio exiit v. g. in delictis simoniæ, homicidii, addubitari nequit, judicem ante latam sententiam, cum res adhuc integra sit, beneficio pensionem moderatam ex justis & rationabilibus causis imponere posse; quod tamen longe aliter sese habet in sententia declaratoria quoad casum substratum, quo culpabilis delinquens beneficium ipso jure & facto amisit, quo res non amplius integrâ extitit, quoque sententia opus nequaquam fuit. Et quanquam ultro concedam, Reservato ecclesiastico jura Ordinarium minime læsa aut limitata fuisse; atamen & hoc patet, nec nova jura iisdem Reservato tributa fuisse, neque Germaniæ præeres ecclesiasticos tempore statuti Reservati de conditionata ejusmodi pensionationis confirmatione, seu respective collatione cogitasse, vel

E quid:



quidquam disposuisse. Cumque ex Art. 5. §. 15. P. W. contrarium potius appareat, Episcopus impingeret contra Art. 17. §. 2. P. W. (ubi hujus pacis decisa tanquam regula perpetuo sequenda omnibus Germaniæ judiciis præscripta reperiuntur) si tale quid prætere vellent.

### §. XIX.

**Q**uodsi vero argumenta §. XV. proposita sub incudem revocare, accuratiusque examinare velimus, illa non majoris ponderis, quam anteriora existere mox clucescet. Supra enim citatum Cap. 24. de regular. & transf. ad relig. de Prælatiis monasteriorum loqui, in apri- co est. Quis vero non cognoscit, maximam sane differentiam inter- esse inter Prælatum monasterii cujusdam, ubi in communione vivitur, & Episcopum; utpote cum de jure hodierno singulis Clericis beneficia sua sint assignata, quibus adherentes fructus percipiendi jus una cum titulo ex intentione Ecclesiæ transit ad titularem, non secus ac offi- cium ipsi beneficio connexum, propter quod beneficium seu jus per- cipiendi fructus conceditur. Ex argumento dicti Cap. potius sequi videtur, quod sicuti Prælatus monasterii redeuntem monachum apos- tatam alere & sustentare cogitur, eodem modo & Episcopus Cleri- cum apostatam redeuntem tempore poenitentia ad emendationem us- que sustentare debeat. a) Quod autem delegationem Sedis aposto- licæ Episcopis in Concilio Tridentino datam concernit, eadem in Ger- mania non adeo attenditur; & bene ibi contenditur, sub delegatio- nem istam non cadere, quod Episcopi vi potestatis ipsi a Christo demandata exercere & exequi possunt, cujus nempe vigorem Concilia constantiense & basiliense Episcopis non tam reddiderunt, quam no- viter inculcarunt. Quid vero delegatio hæc in casu subtrato pro- desse possit, patet jam ex §. XIII. not. g. Num vero hic sit casus, quo causa Ecclesiæ & religionis in periculum adducatur, adhuc du- bium involutum censetur. Me sane nullus unquam convincet, salu- tem religioni & Ecclesiæ Catholicæ periclitari; si Clericus quidam levitate aut morum pravitate ductus ad aliam religionem transeat. Nec talem redire adeo magni interesse puto, cui quippe redditui rarif- sime poenitentia & emendandi libido, sed ut plurimum miseria, ine- dia inpatientia, ac ipsa melioris vitæ cupiditas causam dedere. Has vero ob circumstantias Ecclesiam Catholicam periculo expositam pu- tare, non germani, nec acuti judicii foret.

a) Juxta



2) Juxta L. *Judices C. de Episcop. audient; & Cap. 3. & 7. de censib. Cfr. LEURENIUS for. benefic. T. III. Sect. I. Cap. 4. quasi. 494.*

### §. XX.

**N**ec argumenta §. XVI. posita quidquam relevant. Ordinationis enim titulum si rite perquiramus, tam primaria ejus introducendi ratio, quam & vera indoles ejus jure hodierno obtinens sufficienter declarant, in casu posito ad eum provocari minime posse tanquam ad fundamentum inponendæ pensionis in favorem alicujus apostatæ. Nec ipsum allatum Concilium Tridentinum rationis quidquam hic adferre adparet. Quoad primævam enim tituli ordinationis introducendi rationem certum est, eam solam fuisse conservationem disciplinæ ecclesiasticæ, quod lucide innuit Concil. valent. in Hispan. Ann. 524. Cap. 6. statuens: "*Ut per hoc nullus a regula vel disciplina ecclesiastica deviare permittatur impune.*" a) Quanquam vero labentibus ævis circa titulum clericalem alterata multa reperiantur, ut tandem ipsius Clerici sustentatio primarius finis tituli ordinationis evaderet. b) Ex omni tamen hac historia nihil adhuc sequitur, quod dictæ opinioni circa imponendam pensionem patrocinetur. Nec ipsum laudatum Concilium Trident. huic sententiæ prodest. Qui enim verba illius Concilii solide perustratus fuerit, mox cognitum habebit, mentem ejus unice eo tendere, unicamque fuisse Concilii curam, ne Clerici cum ordinis dedecore aut mendicare, aut sordidum quidpiam exercere cogantur; sed semper habeant, quod sufficiat, ad vitam honeste agendam. Queu finem ut promoveret, statuit sancta Synodus, neminem sine sufficienti titulo ad majores ordines esse admittendum, neque cuiquam ordinato licere, beneficium, quod loco tituli habet, resignare, aut titulum patrimonii vel pensionis alienare, de privationis vero casu Concilium nihil omnino decidit. c) Quare nemo contendit, titulum ordinationis in beneficio adeo firmum & inaffabilem habere, ut beneficium ejusmodi nullo modo amitti possit, quin idem ordinationis titulus in eodem remaneat; præcipue in casu proposito, quo apostata contenta ipsa ordinatione ad aliena sacra transit, sciens se hoc ipso statim excidere beneficio, quod tituli loco obtinuit. Sed & concessio, quod tamen longissime a veritate abest, Concilium Trident. & casum amissionis comprehendisse; quem quæso effectum operabitur contra sanctiones Imperii publicas? præcipue cum disciplinæ canones cullibet regionis proprii generalibus sint anteferendi,

E 2

d)



d) & Concilium Trident. in ejusmodi materiis non aliter in Germania receptum dici possit, nisi falvis Imperii germanici, ejusque provinciarum legibus, juribus & concordatis. e) Jam vero Reservatum ecclesiasticum omnimodam privationem sine ullo respectu ad titulum ordinationis in casu subfrato decrevit, quis igitur neget, plenissimum eidem effectum tribuendum esse, clare adeo adstipulante jureconsultorum regula: lege non distinguente, nec nostrum est distinguere.

a) Cui consentit Concil. meld. Anno 845. Cap. 52.

b) Inde titulum clericalem hodie describunt, quod sit remedium sufficiens ad vitam clerico convenientem agendam Cfr. cl. HEDDERICH in elementis Juris canonici P. II. §. 66. p. 61. Quod ipsum quoque satis indicant Cap. 3. & 4. de Præbend. Ipsumque hoc restantur variae titulorum clericalium species. Successu enim temporis præter titulum beneficii oriebatur titulus paterna hereditatis, de qua loquitur cit. Cap. 4. de Præbend. in fine: "Nisi talis ordinatus de sua vel paterna hereditate subsidium vitæ possit habere." Conc. mog. ann. 1549. P. II. n. 81. Cfr. REGINALDUS POLUS de reform. Angl. decr. VI. ann. 1556. Quem mox secutus fuit titulus pensionis, qui hodie mensæ dicitur, Cap. 16. de Præb. Conc. meclin. Ann. 1530. de Ord. 3. Sicut quoque titulus paupertatis intuitu Regularium tandem invaluit.

c) AUG. BARBOSA de officio & potest. Episcopi P. II. allegat. 19. nro 45. p. 267. Quod idem decium refert NICOL. GARCIA de beneficiis Cap. 5 n. 219.

d) MURATORIUS in Lib. de ingen. moderat. in relig. negot. L. I. Cap. 15. PETRUS DE MARCA de concord. Sacerd. & Imp. Lib. 2. n. 16. GIBERT Corp. Jur. can. T. I. P. I. p. 108.

e) Clariff. HORIX tract. de font. Jur. can. germ. §. 42. BRAUBURGER l. cit. p. 299.



## § XXI.

Cum igitur satis superque appareat, beneficium vi Reservati ipso jure & facto vacare, illudque alteri pure collatum fuisse, & ideo Episcopum in casu subtrato nec vi supremæ cujusdam potestatis ecclesiasticæ, nec de jure communi pensionem eidem beneficio inponere posse; cumque tamen Clericus desertor reverfus competenti modo sit sustentandus, neque aliud quid suppetat, quo alatur; aperte fluit, eum a Fisco episcopali esse sustentandum. Existit enim hic casus, quo Jurisdictio episcopalis intrat; cum vero Fiscus episcopalis percipiat commoda jurisdictionis, evidens est, eum & incommoda sentire debere. Quæ sententia praxi conveniens est, & nuper confirmata fuit a Judicibus sanctæ magontiacæ Sedis in casu ab initio dissertationis allegato.\*



F JUDICUM



~~1784~~

## J U D I C I U M

S A N C T Æ M A G O N T I A C Æ S E D I S


D I E 29. J A N U A R II 1784.

---

**S**ententia in causa appellationis spirensis JOANNIS CASPARI HEPP  
Ecclesiae Cathedralis Semipræbendarii appellantis ex una contra  
suum antecessorem FRANC. RUDOLPH. BÄRMANN ibidem Semipræ-  
bendatum aut potius Officium Episcopale spirense & suo & Ecclesie  
cathedralis nomine agens appellatum ex altera partibus puncto pen-  
sionis annuæ. Visis actis atque actitatis, causæque momentis rite  
perpensis dicimus, ac definitive pronuntiamus, male judicatum,  
bene appellatum, proin ordinationem sententiæ de die 22da Martii  
1779. lata subjunctam quoad membrum tertium reformandam; appel-  
lantem ab onere pensionis annuæ pro sustentatione appellati BÄR-  
MANN, aliisque sumptibus solvendis omnino absolvendum, in inte-  
gra perceptione reddituum semipræbendæ manutenendum, eidemque  
summam detractam ad 144. fl. 38. kr. restituendam esse. Prout his-  
ce dicimus, definitive pronuntiamus, absolvimus, & manutenemus;  
insuper Officium Episcopale spirense in omnes litis expensas condem-  
nantes.

---





POSITIONES  
EX UNIVERSO JURE.

EX JURE NATURÆ.

- 1) **L**ex Naturæ est rectum proprii intellectus judicium de bonitate vel pravitate actionis cujuslibet singularis, contra præjudicia & præappetitus, vi quorum unus homo plus haberi & habere vult, quam hominum conviventium eadem connata natura patitur.
- 2) Num unicum aliquod & universale juris Naturæ principium detur, ætate nostra adhuc problema videtur.
- 3) Majora in collegiis aliquo modo sunt juris Naturæ.
- 4) De jure Naturæ *suprema* civitatum *lex est salus publica*. Hinc princeps omnia facere potest & debet, quæ ad eam promovendam vel necessaria, vel utilia sunt.
- 5) Constituta etiam republica nulla tamen libertatis naturalis portio abdicata censetur, nisi quam verus civitatum finis suspensam defiderat.
- 6) Metus crescentis potentia non est justa causa belli.

EX JURE PUBLICO IMPERII.

- 1) **I**mperium romano-germanicum non est systema civitatum foederatarum, sed una respublica.
- 2) Penes Imperatorem solum residet complexus jurium Majestatis, licet quoad exercitium sit limitatus.
- 3) Elector ecclesiasticus, quamprimum electus vel postulatus est, votum dare potest in electione Imperatoris.
- 4) Inter ipsos status Imperii sicut omnis autodiktia, ita & in specie repressalia tam in causis politicis, quam in causis religionis prohibita sunt.

EX



## EX JURE PUBLICO ECCLESIASTICO.

- 1) Summo Pontifici primatus honoris & autoritatis competit in Ecclesia.
- 2) Episcoporum potestas immediate a Deo est.
- 3) Concordatorum nomine non sola veniunt concordata aschaffenburgensia; eaque interpretandi jus non competit Pontifici.
- 4) Jus eundi in partes quomodo locum habeat, coram respondebo.
- 5) Ad legitimam in partes itionem sola majora illius partis, quæ a reliquo corpore secessum facit, minime sufficiunt.
- 6) Protestantes ex tenore P. W. non sunt independentes in causis ecclesiasticis, hinc suprema Imperii tribunalia, & respective dominos territ: ut iudices agnoscere tenentur.
- 7) Jus reformandi novum est pars superioritatis territ: unde regula hæc certa est: *Omnis is solus, qui gaudet jure territ: gaudet & jure reformandi.*
- 8) Super introductione innoxii simultanei nulla statui Imp. questio moveri potest.

## EX JURE ECCLESIASTICO PRIVATO.

- 1) In dubio omnis beneficii collatio penes Ordinarium est.
- 2) In Germania dignitates ecclesiasticæ vi concordatorum alternativæ mensium non subjacent, nec Sedi Romanæ sunt reservatæ.
- 3) Eligentes ignoranter inhabilem novum habent terminum eligendi.
- 4) In Ecclesiis A. C. judicium, jus confirmandi, & devolutionis competit Imperatori.

## EX JURE PRIVATO PRINCIPUM.

- 1) Principes Imp. gaudent jurisdictione in suos liberos,
- 2) Prin-



- 2) Principes Imperii Majestate non gaudentes in testamentis suis solemnna juris communis servare tenentur.
- 3) Pater Elector filio suo impuberi potest dare tutorem testamentarium.
- 4) Senatusconsultum maced. in ipsis Germaniæ Principibus admittendum est.

#### EX JURE CIVILI ROMANO.

- 1) **Q**uasicontractus & quasidelicta inter signata refero.
- 2) Minor contra aditam hæreditatem citra læsionis probationem in integrum restituendus est.
- 3) Pactum displicitiæ nec in hæredes, nec in ullum alium transit, sed personæ emtoris cohæret.
- 4) Ususfructus non amittitur propter gravem abusum.
- 5) Erronea est opinio, illi, qui semiplene probavit, juramentum præcise suppletorium esse deferendum.
- 6) In emphyteusi civili celeri satisfactione mora non purgatur, ad hoc, ut emphyteuseos caducitas evitetur.
- 7) Remissio caducitatis non præsumitur, si dominus canonem simpliciter sine protestatione receperit.

#### EX JURE GERMANICO PRIVATO.

- 1) **J**udex patrimonialis subditos in proprio suo judicio convenire potest.
- 2) Nobilis emens prædium operis rusticalibus obnoxium non potest se iisdem eximere ob personæ qualitatem.
- 3) Operæ rusticorum determinatæ in dubio stricte sunt explicandæ.
- 4) Ex mortuarii præstatione non potest inferri, obligatum ad illud inter homines proprios esse referendum,

5) Cor-



- 5) Contractus cambialis ad nullam contractuum romanorum speciem referendus est.
- 6) Maxima est cambii & obstagii differentia.
- 7) In ayallo omnia ex jure cambiali dijudicanda sunt.

#### EX JURE FEUDALI.

- 1) Felonia a Prælo commissa non nocet Ecclesiæ.
- 2) Liberi ex matrimonio morganatico nati in feudis haud succedunt.
- 3) In dubio quodlibet feudum potius præsumitur masculinum quam foemininum.
- 4) Repudiata hæreditate patris filius feudum ex pacto & providentia majorum retinere potest.

#### EX JURE CRIMINALI.

- 1) Tortura eruendæ veritatis remedium incertum nimisque cruentum videtur, ejusque usus merito ab humane sentientibus generatim exploditur.
- 2) Quid sentiendum sit de omnimoda abolitione pænarum capitalium, problema est.
- 3) Principi in quolibet crimine competit jus adgratiandi.

#### EX PRAXI IMPERII COMMUNI, & SUPREMORUM IMPERII TRIBUNALIUM.

- 1) Non sola citatio, sed quodcumque judicis decretum parti debite infinuatam, fundat jurisdictionem.
- 2) Reum non teneri ad edenda instrumenta, oppido falsum est.
- 3) A rejeçta reconventione recte appellatur, etsi petitio in reconventionem summam appellabilem non attingat.
- 4) Privilegium de non evocando aut non appellando haud obstat, quominus jurisdictio supremorum Imperii tribunalium ex contentia causarum fundari possit.
- 5) In recurso ad comitia a supremo alterutro Imperii tribunali informatio prius exigenda est.



ULB Halle  
006 398 782

3




vd 18











20

1784.1

DISSERTATIO  
INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
JURE PENSIONIS  
in casu, quo Clericus religionis  
desertor ad pristina Sacra revertitur.

P. 374.

QUAM  
UNA CUM SELECTIS EX OMNI JURE POSITIONIBUS  
EX INDULTU INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA UNIVERSITATE MAGONTIACA

SINE PRÆSIDE

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS & PRIVILEGIIS DOC-  
TORALIBUS RITE CONSEQUENDIS PUBLICÆ ERUDITORUM  
CENSURÆ SUBMITTIT

AUTHOR & RESPONDENS  
JOANNES ASMUT,  
BERINGSHUSIO - WESTPHALUS

MAGONTIACI DIE MENSIS NOVEMB. 1784.

MAGONTIACI,  
Ex Typographia Elect. Aul. Acad. privilegiata apud JOAN. JOSEPH.  
ALEF, Hæred. Hæfn. 1784.

